


# I. DĒ LEŌNE

## A. Intrōductiō

- 1 Leōnēs sunt bēstiae magnae, ferōcēs et fortēs.
- 2 Leōnēs habitant in dēsertīs plānisque atque silvīs Āfricānīs.
- 3 Alii dormiunt in umbrā arborum vel fruticum; alii possidunt
- 4 cavernās vel specūs prō cubilī.
- 5 Propter maiestātem suam saepe vocātur rēx bēstiārum. Unde
- 6 haec maiestās? Vī ferē omnia animālia superat leō, et sicut im-
- 7 perātor mandāta fremit, et rēgālem iubam capillōrum gerit
- 8 (quae habet fortasse corōnae aspectum).



## B. Leō et Homō Concertantēs (Aesōpus)

Aesōpus (c. 620–564 A.C.) fuit scrīptor Graecus. Nihil certī dē vītā eius scīmus. Graecī autem et Rōmānī permultās fābulās Aesōpō attribuērunt. In hīs fābulīs, animālia saepe loquuntur et sicut hominēs sē gerunt. Fābulae Aesōpī conclūduntur cum aptō praeceptō. In hāc fābulā, homō et leō concertant dē vīribus suīs. Ultimē, leō dat hominī argūmentum certissimum!

1 Homō et leō inter sē concertābant quis eōrum esset superior  
2 et cum (ut quaerent huius altercātiōnis testimōnium) vēnis-  
3 sent ad monumentum ubi erat pictūra quōmodo ab homine  
4 leō suffōcārētur, ostendit leōnī homō testimōnium in pictūrā.  
5 Cui leō sic ait, “Hoc ab homine pictum est. Nam si leō pingere  
6 posset, pīnxisset quōmodo leō suffōcāset hominem. Venī  
7 mēcum et dabō tibi vērum testimōnium.”

8 Dēdūxit leō hominem ad amphitheātrum, et ostendit illi  
9 vēram fidem quōmodo homō ā leōne suffōcārētur et dixit ho-  
10 minī, “Hoc testimōnium nōn est opus colōrum, sed opus in  
11 vēritāte factum.”

## C. Allēgoria Leōnis (*Physiologus Latīnus I*)

*Physiologus* est liber incertī auctōris Graecī, inter secundum et quārtum saeculum scrīptus atque postea in linguam Latīnam trānslātus. Hic liber varia animālia dēpingit, et cuique mōrālem interpretātiōnem prōvidet. In hāc parte, dē tribus nātūrīs leōnis nārrātur: dē modō vīvendī, dē somnō, et dē īnfantibus. Omnia lēsū Chrīstō et variīs Bibliae versibus comparantur.

- 1 Etenim Iācōb, benedicēns filium suum Iūdā, ait: ‘Catulus
- 2 leōnis est Iūdās, filius dē germine meō; quis suscitābit eum?’
- 3 *Physiologus* dicit trēs rēs nātūrālēs habēre leōnem.

4 PRĪMA NĀTŪRA: Ambulat in montibus, et sī contigerit ut  
5 quaerātur ā vēnātōribus, venit eī odor vēnātōris; et caudā sūā  
6 cooperit post tergum vēstīgia sua quōcumque ierit, ut nōn *se-*  
7 *cūtus vēnātor* per vēstīgia eius inveniāt cubile eius et capiat eum.

8 Sic et salvator noster — leō dē tribū Iūdae, rādix Iesse, filius  
9 Dāvidis — missus ā supernō patre, cooperuit intelligentibus  
10 vēstīgia deitātis suae, et est factus cum angelis angelus, cum  
11 archangelis archangelus, cum thronis thronus, cum potes-  
12 tātibus potestās, dōnec dēscenderet in uterum virginis, et sal-  
13 vāret hoc quod errāverat hūmānum genus. Et hoc ignōrantēs,  
14 eum ascendentem ad patrem, hī angelī quī sūrsum erant dī-  
15 cēbant ad eōs quī cum dominō ascendēbant: ‘Quis est iste rēx  
16 glōriae?’ Respondērunt illī: ‘Dominus virtūtum ipse est rēx  
17 glōriae.’

19 SECUNDA NĀTŪRA: Cum dormierit, oculi eius vigilant, aperti  
20 enim sunt; sicut in Canticō Canticōrum testātur spōnsus, dī-  
21 cēns: ‘Ego dormiō, et cor meum vigilat.’ Etenim corporāliter  
22 dominus meus obdormiēns in cruce et sepultus, deitās eius  
23 vigilābat: ‘Ecce nōn dormitābit neque dormiet quī custōdit  
4 Isrāēl.’

25 TERTIA NĀTŪRA: cum leaena peperit catulum, generat eum  
26 mortuum, et custōdit eum tribus diēbus; dōnec veniēns pater  
27 eius diē tertiā, insufflat in faciem eius et vivificat eum. Sic om-  
28 nipotēns pater dominum nostrum Iēsum Christum filium  
29 suum tertiā diē suscitāvit ā mortuīs, *dīcente Iācōb*: ‘Dormitā-  
30 bit tamquam leō, et sicut catulus leōnis; quis suscitābit eum?’



## D. Daniēl in Lacū Leōnum (Liber Daniēlis 6:1–7, 9–13, 16–28)

Liber Daniēlis est liber prophētārum Biblicārum. Cum Babylōnī rēgnum lūdae cēpērunt (c. 597 A.C.), eī quī lūdam incolēbant ā patriā suā prohibitī sunt et in Babylōnem expulsī sunt. Secundum hunc librum, lūdaeus quīdam nōmine Daniēl illō tempore erat cārus rēgī Babylōnis Dārīō. Magistrātūs Babylōniae, invidī Daniēlis, coniūrātiōnem contrā eum parāvērunt ut rēx ad leōnēs eum mitteret.

1 Placuit Dārīō cōstituere super rēgnum satrapās centum  
2 vīgintī et super eōs prīncipēs trēs (ex quibus Daniēl ūnus erat)  
3 ut satrapae illis redderent ratiōnem, et rēx nōn sustinēret mo-  
4 lestiam. Igitur Daniēl superābat omnēs prīncipēs et satrapās  
5 quia spīritus amplior erat in eō.

6 Porrō rēx cōgitābat cōstituere eum super omne rēgnum,  
7 unde prīncipēs et satrapae quaerēbant ut invenirent occāsi-  
8 ōnem Daniēli ex latere rēgnī. Nūllam causam et suspīciōnem  
9 reperire potuērunt eō quod fidēlis esset, et omnis culpa et su-  
10 spīciō nōn invenīrētur in eō. Dixērunt ergō virī illi: “Nōn in-  
11 veniēmus Daniēli huic aliquam occāsiōnem, nisi forte inveni-  
12 āmus occāsiōnem adversus eum in lēge Deī sui.”

13 Tunc prīcipēs et satrapae illi concurrerunt ad rēgem et sic  
14 locūtī sunt ei: “Dārie rēx, in aeternum vive! Cōsiliū ini-  
15 erunt cūctī prīcipēs rēgni, magistrātūs et satrapae, opti-  
16 mātēs et iūdicēs, ut dēcrētum prōmulgētur et ēdictum  
17 cōfirmētur, ut omnis, quī petierit aliquam petitiōnem ā  
18 quōcumque deō et ā quōcumque homine, nisi ā tē, rēx, mittā-  
19 tur in lacum leōnum.” Porrō rēx Dārius signāvit ēdictum et  
20 dēcrētum.

21 Daniël autem, cum comperisset dēcrētum signātum esse, in-  
22 gressus est domum suam et, fenestris apertis in cēnāculō suō  
23 contrā Ierusālem, tribus temporibus in diē flectēbat genua sua  
24 et adōrābat cōfitēbāturque cōram Deō suō, sicut et anteā fa-  
25 cere cōsuēverat. Viri ergō illi accessērunt et invēnērunt Da-  
26 niēlem ōrantem et obsecrantem Deum suum.

27 Tunc accessērunt et locūtī sunt cōram rēge super ēdictō:  
28 “Rēx, numquid nōn signāstī dēcrētum, ut omnis homō, quī  
29 rogāret quemquam dē diis et hominibus usque ad diēs tri-  
30 gintā, nisi ā tē, rēx, mitterētur in lacum leōnum?” Respondēns  
31 rēx ait: “Vērū est.” Tunc respondentēs dīxērunt cōram rēge:  
32 “Daniēl dē filiis captivitātis Iūdae nōn cūrāvit dē tē, rēx, et dē  
33 ēdictō, quod cōstituistī, sed tribus temporibus per diem ōrat  
34 obsecrātiōne suā.”

35 Tunc rēx contrīstātus praecēpit, et addūxērunt Daniēlem et  
36 mīserunt eum in lacum leōnum. Dixitque rēx Daniēli: “Deus  
37 tuus, quem colis semper, ipse liberet tē.” Allātusque est lapis  
38 ūnus et positus est super ōs lacūs. Et abiit rēx in domum suam  
39 et dormīvit incēnātus, cibique nōn sunt illātī cōram eō; insu-  
40 per et somnus recessit ab eō.

41 Tunc rēx primō dilūculō cōnsurgēns ad lacum leōnum per-  
42 rēxit; appropinquānsque lacuī Daniēlem vōce lacrimābili in-  
43 clāmāvit et affātus est Daniēlem: “Daniēl, serve Deī viventis,  
44 Deus tuus, cui tū servīs semper, putāsne quod valuit liberāre  
45 tē ā leōnibus?”

46 Et Daniël rēgī respondēns ait: “Rēx, in aeternum vīve! Deus  
47 meus mīsit angelum suum et conclūsit ōra leōnum, et nōn no-  
48 cuērunt mihi, quia cōram eō iūstītia inventa est in mē; sed et  
49 cōram tē, rēx, dēlictum nōn fēcī.”

50 Tunc rēx vehementer gāvisus est super eō et Daniēlem prae-  
51 cēpit ēdūcī dē lacū; ēductusque est Daniël dē lacū, et nūlla lac-  
52 siō inventa est in eō, quia crēdidit Deō suō. Dixit autem rēx,  
53 et adductī sunt virī illī, quī accūsāverant Daniēlem, et in la-  
54 cum leōnum missī sunt, ipsī et filiī eōrum et uxōrēs eōrum, et  
55 nōn pervēnērunt usque ad pavīmentum lacūs, dōnec potiren-  
56 tur eis leōnēs, et omnia ossa eōrum comminuērunt.

57 Tunc Dārius rēx scrīpsit ūniversīs populīs, tribubus, et lin-  
58 guīs, habitantibus in ūniversā terrā: “Pāx vōbīs multiplicētur!  
59 Ā mē cōstitutum est dēcrētum ut, in ūniversō imperiō rēgnī  
60 meī, populī tremēscant et paveant Deum Daniēlis:

61           Ipse est enim Deus vīvēns  
62           et permanēns in saecula,  
63           et rēgnum eius nōn dissipābitur,  
64           et potestās eius usque in aeternum;  
65           ipse liberātor atque salvātor  
66           et faciēns signa et mirābilīa  
67           in caelō et in terrā.  
68           Liberāvit autem Daniēlem  
69           dē manū leōnum.”

70 Porrō Daniēl prōsperātus est in rēgnō Dārīi.



## E. Androclus et Leō Amīcus (Gellius, *Noctēs Atticae* 5.14)

Aulus Gellius (c. A.D. 125–180) erat scrīptor Rōmānus quī quondam Athēnīs habitābat. Per quandam frīgidam hiemem, Gellius nocte multās partēs variōrum librōrum in mentem revocābat. Ergō haec fragmenta appellantur *Noctēs Atticae*. In hōc fragmentō, quīdam Āpiōn nārrat fābulam dē servō Androclō, quī ad leōnēs damnātus est sed benignitātis suae grātiā pervīxit.

- 1 Āpiōn, *litteris* homō *multis* praeditus, rērumque Graecārum
- 2 plūrimā atque variā scientiā fuit. Hoc, quod in librō Aegyptia-
- 3 cōrum quīntō scrīpsit, neque audisse neque lēgisse, sed ipsum
- 4 sēsē in urbe Rōmā vīdisse oculis suis cōfirmat. Ille inquit:

5 In Circō Maximō vēnātiōnis amplissimae pugna  
6 populō dabātur. Eius rei, Rōmae cum forte essem,  
7 spectātor fui. Multae ibi saevientēs ferae, magni-  
8 tūdinēs bēstiārum excellentēs, omniumque invisi-  
9 tāta aut fōrma erat aut ferōcia. Sed praeter alia om-  
10 nia leōnum immānitās admirātiōni fuit praeterque  
11 omnēs cēterōs ūnus. Is ūnus leō corporis impetū et  
12 vāstitūdine terrificōque fremitū et sonōrō, toris co-  
13 misque cervicum fluctuantibus animōs oculōsque  
14 omnium in sēsē converterat.

15 Intrōductus erat inter *complūrēs cēterōs*, ad pugnam  
16 bēstiārum *datōs*, servus viri cōsulāris; eī servō An-  
17 droclus nōmen fuit. Hunc ille leō ubi vidit procul,  
18 repentē quasi admirāns stetit ac deinde sēnsim at-  
19 que placidē tamquam nōscitābundus ad hominem  
20 accēdit. Tum caudam mōre atque rītū adūlantium  
21 canum clēmenter et blandē movet hominisque sē  
22 corpori adiungit crūraque eius et manūs, prope iam  
23 exanimāti metū, linguā lēniter dēmulcet. Homō  
24 Androclus inter illa tam atrōcis ferae blandimenta  
25 āmissum animum recuperat, paulātīm oculōs ad  
26 contuendum leōnem refert. Tum quasi mūtuā reco-  
27 gnitiōne factā *laetōs* et *grātulābundōs* vidērēs *homi-*  
28 *nem et leōnem.*

29 Eā rē prōrsus tam admirābili maximōs populī clāmōrēs exci-  
30 tātōs dicit accersītumque ā Caesare Androclum quaesītamque  
31 causam, cūr *illī* atrōcissimus leō *ūnī* parsisset. Ibi Androclus  
32 rem mīrificam nārrat atque admirandam. Inquit Androclus:

33 Cum prōvinciam Āfricam prōcōsulārī imperiō  
34 meus dominus obtinēret, ego ibi *iniquis* eius et *cotī-*  
35 *diānis verberibus* ad fugam sum coāctus et, ut mihi  
36 ā dominō, terrae illius praeside, tūtiōrēs latebrae  
37 forent, in campōrum et arēnārum sōlitūdinēs con-  
38 cessi ac, si dēfuisset cibus, cōsiliū fuit mortem  
39 aliquō pactō quaerere. Tum, sōle mediō ravidō et  
40 flagrantī *specum quandam* nactus *remōtam late-*  
41 *brōsamque*, in eam penētrō et mē recondō. Neque  
42 multō post ad eandem specum venit hic leō dēbili  
43 ūnō et cruentō pede, gemitūs ēdēns et murmura  
44 dolōrem cruciātumque vulneris commiserantia.

45 Atque illic Androclus *prīmō* quidem *cōspectū* advenientis le-  
46 ōnis territum sibi et pavefactum animum dīxit. Inquit autem:

47 Sed postquam intrōgressus leō, ut rē ipsā appāruit,  
48 in habitāculum illud suum, videt mē procul dēli-  
49 tēscentem, mītis et mānsuēs accessit et sublātum  
50 pedem ostendere mihi et porrigere quasi opis pe-  
51 tendae grātiā vīsus est. Ibi ego stirpem ingentem  
52 vēstigiō pedis eius haerentem revelli conceptamque  
53 saniem vulnere intimō expressi accūrātiusque sine  
54 magnā iam formīdine siccāvī penitus atque dētersi  
55 cruōrem.

56 Illā tunc meā operā et medellā levātus, pede in ma-  
57 nibus meis positō, recubuit et quiēvit, atque ex eō  
58 diē triennium tōtum ego et leō in eādem specū eōd-  
59 emque et victū viximus. Nam, *quās* vēnābātur *ferās*,  
60 membra opīmiōra ad specum mihi subgerēbat,  
61 quae ego ignis cōpiam nōn habēns merīdiānō sōle  
62 torrēns edēbam.

63 Sed ubi mē vītae illius ferīnae iam pertaesum est,  
64 leōne in vēnātum profectō reliquī specum et viam  
65 fermē trīduī permēsus ā militibus vīsus adpre-  
66 hēnsusque sum et ad dominum ex Āfricā Rōmam  
67 dēductus. Is mē statim rei capitālis damnandum  
68 dandumque ad bēstiās cūrāvit. Intellegō autem  
69 hunc leōnem, *mē* tunc *sēparātō* captum, grātiam  
70 mihi nunc beneficiī et medicīnae referre.



71 Haec Āpiōn dixisse Androclum trādit *eaque omnia scrīpta cir-*  
72 *cumlātāque tābulā populō dēclārāta*; atque ideō *cūnctis peten-*  
73 *tibus* dīmissum Androclum et poenā solūtum, leōnemque eī  
74 suffrāgiis populī dōnātum. Inquit Āpiōn:

75       Posteā vidēbāmus Androclum et leōnem lōrō tenuī  
76       revīnctum urbe tōtā circum tabernās ire, dōnārī aere  
77       Androclum, flōribus spargī leōnem, omnēs ubique  
78       obviōs dicere: ‘Hic est leō hospes hominis, hic est  
79       homō medicus leōnis.’